

ceudit, per mare, sua sponte, incredibili celeritate delata non sine divino ductu atque impulsu, Anconam biduo ex Nazareth appulit; et illico Lauretum pergens ibi Christianis mysteriis instructus ingenti suo et aliorum gaudio, sacrum Baptisma religiosissime suscepit. Erat hic Hebræus, origine Nazarenus, vir gravis ac prudens, qui Nazarethi habitabat in vico, ubi Lauretanæ domus vestigia relicta fuerunt, cum ad Picenum per manus angelorum deducta fuit, et Mariæ suæ, civi semper favebat; a qua tam magnam misericordiam deinceps est consecutus.

Tertio, Turcis. Narrant enim iidem annales Eccl. Lauretani Corcutum Turcarum prætorem seu Bassam anno 1551. dum esset Constantinopoli ex gravi occultoque pectoris apostemate ad extremum vitæ discrimen venisse, et a pio ejus servo christiano jam moribundum admonitum fuisse, ut Lauretanam Virginem, cujus admirabilem opem in morbis quibuscumque depellendis illum edocuerat, invocaret: vovens si morbum depulisset, se in ejus gratiam illi servo libertatem daturum. Cum itaque votum emisisset, mox dirupto apostemate Bassa sanatur, et servum illum libertate donatum cum litteris ac muneribus mittit Lauretum ad Virginem. Litterarum tenor, qui adhuc Laureti asservatur, ex Arabico in Latinum conversus, sic habet: « Quod bonum fortunatumque nobis esse velit, magnus ac misericors mundi Dominus. Cum mihi ipsi divinitus quoddam evenerit, ego Corcut Bassa (ne meo desim officio, tantæque rei momentum aliquod posteris extet) rem quam ordine exponam: ortum erat atrox apostemata nobis in pectore, jamque haud dubium imminerebat exitium, cum desperata a medicis salute, meus me servus adiit, et sane fidenter: Si mihi libertatem polliceris, inquit, Dei mei Matrem exorabo, ut tibi pristinam restituat valetudinem. Itaque ego confestim accersito tabellione libertatem ei promisi, si ipse promissa præstaret. Ex templo servus positus humi genibus, et quædam super se signa ducens manu, rogat, ut se vel verbo præeuntem sequar. Inde ipse præiri verbis cœpit: Ego B. M. Lauretanæ opem imploro. Monenti obsecutus triduo post, Deo favente, convalui: ego servo in libertatem vindicato hoc chirographum dedi cum votivis donis, quæ meæ observantiæ, gratique animi monumenta sunt B. Mariæ parenti præpotentis Dei, qui nos salvos fecit.»

Quarto, desperatis etiam et qui seipsos dæmoni devoverunt. Cujus rei illustre exemplum est multis clarissimorum scriptorum (uti S. Bern. S. Bonavent. Petri Damiani et aliorum) testimoniis celebratum de Theophilo Adanensis Ecclesiæ oeco-

nomo, qui cum per iniquorum calumniam ab officio suo depositus fuisset in tantam perturbationem incidit, ut opem a dæmone requirens ei se devoverit, dato suo chirographo, Christo ac Deipara abnegatis. Quo facto recuperavit quidem pristinum munus œconomi, sed paulatim admisi sceleris pœnitens, ad Deiparæ templum confugiens, lacrymis, precibus, jejuniis se afflixit per quadraginta die sunicum Deiparæ subsidium in re desperatissima expectans. Itaque exacto illo tempore apparuit ei Virgo nocte media, et ob gravitatem sceleris, non facile dimittendi, acriter objurgat; cumque is instanter, veniam postularet, jubet illa ut fidei in Christum professionem edat, spondetque se ei veniam a Filio impetraturum. Itaque dum is in eodem templo ante Virginis aram humi stratus solitis pœnitentiæ operibus insistit, apparet ei rursus per quietem, asserens acceptam esse ipsius pœnitentiam, adeoque ipsum quoque receptum in Dei gratiam. Restabat adhuc chirographum dæmoni exhibitum, pro quo recuperando cum Virgini supplicasset, mane experrectus, reperit illud repositum supra suum pectus. Qua ex re una cum ipso universa Ecclesia in gaudium effusa Deo gratias egit. Inde mox ægrotare cœpit Thophilus, et post triduo in Dei et Deiparæ laudibus animam Dei reddidit. Ex quo exemplo concludit Petrus Damiani, in cit. serm. II. de nativ. Virg. datam esse ei omnem potestatem in cœlo et in terra. « Quomodo, (inquit), illa potestas tuæ potentiæ poterit obviare quare de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans; domina non ancilla.» Nimirum sicut olim Josue solem stare fecit, Deo obediente voci hominis, Josue X. ita et Deipara imperare cœlo, terræ et inferis potest.

IV. Verum licet Virginis patrocinium potentissimum, liberalissimum et amplissimum sit, oportet tamen cum illo ad nostram salutem cooperari. Vidimus enim supra ex Jer. XV. Deum dixisse: *Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*: quia nimirum populus ille ad salutem suam cooperari noluit, ideo amicissimorum etiam preces se repulsurum ait. Certe magnus Dei amicus et efficax precator fuit Moyses: si tamen ipse solus in monte manus ad Deum tetendisset orans, et interim Josue infra non pugnasset contra Amalec, nihil haud dubie effecisset, Exod. XVII. ergo dum Maria tibi Moyses est, esto tu illi Josue; ita Nathan mittens Bethsabæam ad Davidem pro regno Salomoni obtinendo dixit: *Vade et ingredere ad regem David et dic ei: Nonne tu domine mi, rexjurasti mihi ancil-*

læ tuæ, dicens: Quod Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo? Quare ergo Adonias? Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te et complebo sermones tuos, III. Reg. I. quare si volumus ut impetret nobis Deipara, ne regnet in nobis Adonias, peccatum; sed potius Salomon, id est, Christus, tu ea intercedente, interveni et comple sermones ejus: *Illi autem complent sermones sanctorum*, inquit Chrysostomus in eum locum: *qui operibus humilibus et piis correspondent eorum intercessionibus*. Speciatim vero Divus Bernardus, hom. II. super *Missus*, ait: *Ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum*.

CONCIO VIII.

AD VIRGINIS DEVOTIONEM QUÆ NOS EXCITARE DEBEANT.

I. Est mater Christi. — II. Pulchræ dilectionis. — III. Mater timoris. — IV. Agnitionis. — V. Sanctæ spei.

THEMA.

Dic ergo illi, ut me adjuvet. Luc. X.

Qui e nova Francia ad nos remearunt, ferunt ibi reperiri aviculas nomine Godetz tam debiles, ut sublime volare nequeant quod vento abripiantur. Quare sub alas magnæ cujusdam avis sese reconduunt, cujus pennis adhærentes in aera tolluntur. Refert Jacob. Carter. de nova Francia, et Steph. Binnet. soc. Jesu, in tessera salutis. Avicula ejusmodi nos sumus, auditores, qui levibus innixi virtutum pennis remisse et languide ad cœlum volamus, et tentationum procellis facile abripimur, ideoque nisi nos sub alas magnæ alicujus avis conferamus, cœlum nostro volatu difficile et vix attingemus. Sed ubi hæc avis magna? Ecce tibi hodie Virginem Mariam corpore glorioso ad cœlum evolantem; illa utique nos, si pennis ejus adhæserimus ad cœli sublimitatem evehet. Adhærebimus autem illi, si peculiarem devotionem ad illam habuerimus.

Ergo, o Christe, Jesu, dic Mariæ Matri tuæ, ut nos adjuvet. Avolat illa in regnum tuum et sedet, non ad pedes sed ad dexteram tuam, nos autem cum Martha discurremus in hoc mundo et turbamur erga plurima: dic ergo illi ut nos adjuvet.

Ad suam devotionem invitat nos Deipara verbis illis Ecclesiastic. c. XXIV. *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei*, cui invitationi merito obtemperandum.

I. Quia est Mater Christi adeoque summo apud eum loco et honore. Et hoc significat Ecclesiasti-

cus, cum ait: *Ego mater*. Solemus certe illorum gratiam ambire, ad illorum genua accedere, et munera afferre, illorum limina terere et familiaritatem quærere, qui apud regem plurimum valent: hos enim si a nostra parte stantes habemus, regem quoque ipsum habere nos existimamus. Atqui Christo regi nostro nemo charior, nemo conjunctior ex angelis vel hominibus ipsæ ejus Matre. Quare sicut Abraham, Genes. XII. cœli prævidisset uxorem suam ob insignem pulchritudinem, placitum Pharaoni et tollendam in ejus aulam, supplicare ei cœpit: *Dic obsecro, quæ soror mea sis, ut bene mihi sit propter te*. Ita et nos Deiparæ preces et gratiam merito ambimus, quæ summe placet summo regi. Audi S. Bonavent. in spec. B. Virg. cap. VI. « Obsecrare, (inquit), possumus Mariam, sicut Abraham obsecravit Saræ. Dic, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene mihi sit propter te, et vivat anima mea ob gratiam tuam. O Virgo Maria, o Sara nostra, dic quod sis soror nostra, ut propter te bene sit nobis a Deo, et ob gratiam tuam vivat anima nostra in Deo, ut propter talem sororem Ægyptii, id est, dæmones nos revereantur, etc.» Congruit Deiparæ nomen Saræ, quod principem vel dominam significat. Quare non dubitandum, si favorem hujus dominæ et reginæ habuerimus, habituros et favorem Dei.

Accedit quod honor et cultus Mariæ cedit et terminatur in honorem et cultum Christi, eumque amplificat et auget, quando scilicet propter tantum filium colimus et matrem; ergo si cultum Christi amplificatum volumus jure colimus et Matrem ejus. « Si enim, inquit Damascenus, orat. I. de dormit. Virg. honor is, qui conservis habetur, benevolentiam erga communem Dominum declarat, quo tandem modo studium te honorandi, quæ Dominum peperisti, negligendum erit? Et si Joannes Baptista calceamenta Christi honoranda existimavit, ut indignum se reputaret, qui portaret ea, Matth. III. quia scilicet in iis Christus stetit omni honore prosequendus: an non potiori jure colimus Deiparam, in cujus utero Christus stetit? Ut enim honor cœlorum Christi, ita multo magis honor Matris ejus in ipsum Christum tendit. Sane Christiani qui proficiscuntur ad terram sanctam, cum primo in ea pedem ponunt, salutant eam flexis genibus et osculantur, quia nimirum protulit et tulit Salvatorem mundi. Atqui Maria etiam terra ipsa viva est, quæ protulit nobis Christum; ita enim de ea dicitur Isai. XLV. *Aperiat terra et germinet Salvatoreme*. Jure ergo Mariam et majore quidem omni obsequio colimus.

II. Quia est mater pulchræ dilectionis, hoc est,

insignis benefactrix et amatrix nostra. Quod amet eos, ex eo patet: primo, quia est domina nostra; amat ergo servos suos: secundo, quia est mater etiam suo modo nostra; amat ergo filios suos: tertio, quia: *Os nostrum et caro nostra*; amat ergo fratres et sorores suas: quarto, quia Christus, cujus illa Mater est, adeo nos dilexit, ut animam suam pro nobis posuerit; amat ergo amicos filii sui: amat vero præ cæteris sibi devotos, juxta id Proverb. VIII. *Ego diligentes me diligo*: neque vero affectu solum, sed etiam effectu diligit nos. Et hoc est, quod ait de ea Eccles. *Ego mater pulchræ dilectionis*, quæ scilicet effectum beneficii jungit amoris affectui. Si pauperi petenti eleemosynam, dicas: *Deus tibi optuletur*, est quidem hæc dilectio, non tamen est pulchra dilectio, nisi simul ostendas manum et porrigas eleemosynam: *Vox quidam est vox Jacob, manus autem manus Esau, vox levis, manus aspera*, proinde nec pulchra harmonia. At vero Deipara mater pulchræ dilectionis est, quia non tantum amat, sed etiam adjuvat: primo, per beneficia generalia. Suo enim modo ad Christi incarnationem cooperata est eamque meruit de congruo: eundem instar Marthæ, nomine omnium hominum recepit in domum suam, uterum scilicet virgineum, et ex suis visceribus subministravit illi corpus, porrexit lac aliisque necessaria et sollicitè ministravit. Secundo, per specialia, quæ partim hic occulta nobis patent in altera vita: partim sunt aperta, quæ quisque in se experitur. Obligamur ergo titulo gratitudinis ad devotionem Virgini et singularem cultum exhibendum. Et hæc etiam pulchra valde dilectio est, quando amor amori rependitur.

III. Quia est mater timoris, hoc est, in periculis et metu instantium malorum, asylum et protectrix. Si quis ergo nulla adhuc particularia beneficia a Virgine accepisset, potest adhuc accipere et forte magis opportune, cum in maximo discrimine vitæ vel salutis erit. Cum enim simus miseri et omnibus periculis tum animæ tum corporis expositi, illi præsertim quo in particulari examine de rerum nostrarum summa agetur: quomodo non quæramus et omni studio paremus nobis asylum, ad quod recipere non possimus in tempore afflictionis? Solent principes mundi bene et prudenter constituere sibi arcem suæ ditioris aliquam, præ cæteris munitissimam in quam confugere possint, si hostium incursus vel rebellium subditorum patriam perturbarent. Ergo et nos, si sapimus, simili industria imminentes afflictiones, ultimam præsertim, quæ in mortis articulo seu judicio nos expectat, prævenire satagamus. Et quam fortiosem arcem nobis eligemus

præter Virg. Mariam, cujus patrocinium, ut alibi ostendimus, omnium est efficacissimum et tutissimum, sane Christus monuit Matth. XXIV. ut Christiani, qui Jerosolymis essent excidio imminente, fugerent ad montes, quod etiam fecerunt, fugiendo in Pellam oppidum, teste Epiphano, hæc. XXIX. In quem montem vel oppidum nos fugiemus, imminente tribulatione? Nonne ad Mariam, montem *umbrosam* (Habac. III. juxta versionem Septuaginta int.) *securissimum*? Hoc vero nobis asylum mature præparandum est, per devotionem Virginis ne aliquando frustra dicamus *montibus*, id est: *sanctis, Cadite super nos*. Monuit etiam alibi Christus, ut faceremus nobis amicos in diem reddendæ rationis, laudavit etiam villicum iniquitatis, qui debitores domini sui amicos sibi fecisset. At quis major et potentior amicus noster esse potest, quam Deipara, quæ apud Deum plurimum valet, et nihil illi reatus debet? Habent alii sancti sua et ipsi debita, quorum dimissionem Deo acceptam ferunt. Maria nullum habuit: quid ergo non impetrabit? Archimedes unius parvæ rotulæ adminiculo scelos pertrahere potuit, quod junctæ plurimorum manus commovere non poterant, Plutarch. in Mar. Deipara hoc suo patrocinio potest, quod suo multi sancti nequeunt efficere.

IV. Quia est mater agnitionis, hoc est, fidei seu fidelium. Sic Abraham dicitur *pater fidei et credentium*: Maria mater seu avia *credentium* est, quia Mater Christi, cujus filii sunt fideles. Accedit quod eidem Matri suæ Christus in Joanne commendavit Ecclesiam universam, ut alibi ostendimus; ex quo ipsa constituta est præses quodammodo Ecclesiæ et protectrix. Quare uti Joannes ex eo tempore accepit eam in suam, colendo videlicet ut matrem: ita et nos omnes jure merito facimus. Quis enim suo præsidio et protectori non fit addictus et devotus? Egit nobiscum Deus, sicut pater cum filio quem justa de causa vult corrigere: exoptat enim esse aliquem, qui filii plagas ab eo deprecetur. Ita enim Ezech. XIII. queritur neminem esse qui se opponat murum contra Dei vindictam. At nobis hoc Maria præstat, quæ se inter Deum puniturum et Ecclesiam puniendam opponit quasi murum. Comparavit Christus Ecclesiam vineæ, Matth. XXI. cui sepem circumdedit. Nequaquam vero errabimus, si sepem vel maceriam dicamus esse Mariam, quæ sua protectione totam ambit Ecclesiam, uti maceria vineam. Ipsa enim per os Sapientis, Cant. VIII. ait: *Ego murus et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*. Hæc maceria nisi foret, diriperetur utique in membris suis Ecclesia. Audi Eccles. cap. XXXVI. *Ubi non*

est sepes, inquit, *diripietur possessio: et ubi non est mulier ingemiscit egens*. Mulier antonomastice Virgo est beata. Antequam venit in mundum hæc mulier, ingemuit genus humanum, quia prædæ expositum fuit. uti etiam ipsa synagoga, quam idcirco: *Exterminavit aper de silva*, Psalm. XCVII. Quam ergo impense colenda est Deipara rogandaque ut sua protectione circumdare non Ecclesiam tantum universam, sed et singulos fideles dignetur!

V. Quia est mater sanctæ spei, gignit enim in nobis spem certam vitæ æternæ, si impense colatur. Dices non constare hoc ex ss. litteris? Respondeo verum esse; sancte tamen hoc credi et sperari; primo, quia Ecclesia Spiritus sancti instinctu ita loquitur de ea: *Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino*, Ps. VIII. et Ps. XVIII. ubi hoc ipsum magis declaratur: *Qui inveniet mulierem bonam, invenit bonum et hauriet jucunditatem a Domino*. Quænam hæc mulier bona, nisi quæ benedicta in mulieribus? Eodem collimasse Spiritum s. Lev. XXVI. cum dixit: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea, admodum credibile est: et Is. IV. Tabernaculum erit in umbraculum dici ab墅 et in securitatem et absconsionem a turbine et pluvia*.

Secundo, idem indicant figuræ aliquot legis veteris. Salomon III. Reg. II. dixit Abiathar: *Equidem vir mortis es* (adjuverat enim partes Adoniæ), *sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Dei*, parcat igitur et Christus iis, etiam peccatoribus, qui Virginem Mariam arcam Dei viventis, ejusque devotionem in corde suo portant; quare ut semper parcat, tu semper hanc arcam porta: quotidie eam invoca et aliquo pietatis officio cole.

Tertio, quia neminem legimus ab ea repulsum vel relictum, adeoque neminem etiam qui ei devotus fuerit, cælo exclusum. Testatur id Ludovic. Blossius, qui in speculo suo, cap. XII. *Citius cælum cum terra perierit, quam ipsa aliquem serio se implorantem sua ope destituit*. Olim principes et potentes thesauros suos in templo Dianæ deponebant, quo ibi nemo, ne hostis quidem urbem diripiens, tangere audebat. Simile privilegium templo Jerosolymitano concessit Demetrius gentilis, I. Macch. X. ut nimirum omnes, qui confugerint ad templum Jerosolymitanum, obnoxii regi, in omni negotio dimittantur. Vera Christianorum Diana est Deipara, virtutum et salutis fida custos: ita ut impossibile sit perire eum, qui se suaque ei sedulo commendat. Unde S.

Bernard. hom. IV. super *Missus est*, inquit: *Mariæ commendare memento, quidquid Deo offerre paras*.

Aquilam ferunt nido suo ætitem lapidem inædificare, seu ad firmandum illum, seu ad tuendum a veneno, Plin. lib. X. cap. III. Holcot. in lib. Sap. lect. XXXVI. Nobis ætites sit Maria, quam cordi nostro imprimemus, ut firmemus id in gratia et ab hoste mortifero defendamus.

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

I. A Martha: 1. hospitalitas. 2. Recollectio. 3. Placatio facilis. — II. A Magdalena: 1. Modus audiendi verbum Dei. 2. Contemplatio. 3. Committere se Deo. — III. A Christo: 1. Non accusare religiosos, quasi otiosos. 2. Marthæ officia non sperzera. 3. Animæ plus tribuere.

THEMA.

Sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Luc. X.

Moyses moriturus et valedicturus populo suo, protulit inter alia hanc sententiam: *Qui appropinquant pedibus* (Dei videlicet), *accipient de doctrina illius*. Appropinquant autem pedibus Christi, secundum glossam ibi; primo, qui audiunt Christi præcones, apostolos, evangelistas et alios ab eo missos, quibus veluti pedibus suis peragravit orbem: *Ut enim non constristantur*, ait glossa, *qui Christum in carne docentem non audierunt, quasi ab hominibus decipiuntur, per os sanctorum loquitur Christus, per pedes doctrina capitis auditur*. Secundo, qui spirituali desiderio flagrantes evangelio toti invigilant. Tertio, qui discunt humiliter. Denique, qui cupiunt sequi vestigia ejus. Hac ratione Maria sedit ad pedes Christi, ideoque accepit de doctrina ejus. Nos ergo simili modo sedeamus ad pedes Christi, velut magistri nostri, ut accipiamus doctrinam ejus. Imo non ad magistri tantum, sed etiam ad discipulorum ejus pedes sedeamus. Nam et ipsi nos erudiunt.

I. A Martha discimus primo, hospitalitatem. Nam imprimis Christum recipit in domum suam: secundo, apparavit ei refectorem: tertio, satagebat circa frequens ministerium, hoc est, anxie distrahebatur et quærebat, quibus rebus tanto hospiti gratificari et servire posset suamque erga illum ostendere charitatem: denique, sororem adjutricem petebat, quasi sola animo suo satisfacere nequiret; sed cum eam non obtineret,

sola in se suscepit laborem haud illibenter, qui duobus alioqui sufficeret. Hoc exemplum Marthæ excitavit pene innumera per orbem christianum hospitalia, quibus et patrona sæpe electa et proposita est. Excitavit innumeros viros feminasque, qui vel in suisædibus, vel in publicis hospitalibus peregrinis inservierunt, uti Ludov. rex, S. Elisabetha regina, etc. Neque enim negligentiores in hoc esse debemus, quod servum, non Dominum suscipimus; ipse enim dixit: *Quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis*. Neque obsequium Marthæ reprehendit Dominus, sed postposuit meliori.

Secundo, recolligere nos subinde et sistere coram Deo, cessando interim ab exercitiis nostris externis. Sic enim et Martha postquam aliquamdiu occupata fuisset in prandiis iis, quæ ad reficiendum Dominum erant necessaria, stetit in transitu coram Domino et locuta est cum illo. « Quo perfecto exemplo institumur, inquit S. Greg. lib. V. in lib. Reg. cap. IV. ut qui fratribus ministeria exhibemus, si per moram sedere ad redemptoris pedes non possumus, per aliquantulam moram redemptori assistere debeamus: sed bene ei assistemus, si transeundo et serviendo videamus. Quid est autem transeundo Dominum cernere, nisi in omni nostro bono opere, ad ipsum dirigere cordis intentionem? Transimus enim, quando huc illuc discurrendo in membris suis Domino ministramus, sed transeundo Dominum cernimus, si per omne, quod agimus, præsentem nobis ipsum, cui placere cupimus, contempletur. » Hæc Greg.

Hunc in modum, qui domi toto occupantur die vel hebdomade, subinde se coram Deo sistere deberent, sive adeundo templum et audiendo missam, sive domi se colligendo et loquendo aliquid cum Deo suaque anima, de propria salute, suaque omnia ad Dei gloriam dirigendo. Advertimus hoc in canibus qui in itinere Dominum comitantes, dum hac illa exspatiantur indagando vel persequendo leporem, allatrando obviantes homines, etc. subinde recurrunt ad dominum suum, eumque recognoscunt, et ablandiendo quodammodo salutant, pudeat hominem vinci a cane.

Tertio, cito et facile placari et a concepta opinionione, æmulatione aut invidentia dimoveri. Sic enim Martha cum tacite expostulare cum sorore, ad unam Domini responsionem, composuit se ad pacem et quietem nihil contra objiciens, nihil querelarum contra sororem addens. Hoc modo etiam propinqui alique omnes, si quid inter eos simultatis oriatur, ne foveant conceptam iram vel æmulationem, sed mature frangant, dum ad-

huc festuca est; ne crescat paulatim in trabem odii, sicque rumpi deinde nequeat, patiantur lites suas componi a viri bonis. Sic enascente similitate inter pastores Loth et Abrahæ, ad unam illam Abrahæ vocem: *Ne quæso sit iurgium inter me et te et inter pastores meos et pastores tuos, fratres enim sumus*, statim lis tota sublata fuit, Gen. XIII.

II. A Magdalena discimus primo, modum et rationem audiendi verbum Dei. Nam primo: *Audiebat verbum Christi*, ait evangelista; non dormiebat, non garriebat, non alia cogitabat vel alia agitabat, nec semel, sed sæpius ut indicat vox, audiebat. Secundo, audiebat sedens cum magna animi tranquillitate et consideratione, non cursim et raptim, uti probabiliter audivit Martha. Tertio, audiebat cum magna aviditate, ita ut aliarum rerum omnium oblivisceretur, nec aliud metueret, nisi ut juberetur a Domino surgere, et Martham adjuvare, quod notat evangelista particula *etiam*, cum ait: *Etiam sedens secus pedes Domini*, secundum Maldonatum. Quarto, cum magna humilitate, quia sedens secus pedes Domini audiebat, quasi discipula magistrum, ut magis impleteretur sapientia. « Quanto enim humilior, ait S. Aug. ser. XXVII. de verbis Domini, ad pedes sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis. » Ergo hac ratione audiendum est verbum Dei: primo, cum attentione, non dormiendum, non aliud agendum. Audiendum item crebro et frequenter, neque enim uno alterove ictu proceras arbor sternitur, nec muri Jerichuntini ad primum corruiere circuitum tubarum resonantium, sed post septimum: secundo, cum tranquillitate et ruminacione: tertio, cum aviditate, quod enim sapit, nutrit: quarto, cum humilitate, ut cupias doceri, non docere.

Secundo, sedere assidue ad pedes Dei per contemplationem præsentia ejus in omni loco. Ut enim Magdalena frequenter ad pedes Domini sedit instar alicujus famuli aut canis, qui dominum suum observans, ad pedes ejus cubat: ita decet nos semper observare Deum, tamquam ubique nobis præsentem, adeoque ad ejus pedes semper excubare. Horrent multi hoc exercitium, sive quod libertatem cogat, sive quod molestiam parere, caput obtundere et perpetuam sollicitudinem generare videatur: sed hoc non obstante, æquissimum est occupare mentem hac consideratione, tum quia verissimum est Deum ubique esse, omniaque nostra intueri perspicacissime, licet hoc non cogitemus. Quanta esset autem perversitas et contemptus scire regem tuum observare omnia acta tua et nunquam te interim

cogitare de ejus præsentia vel intuitu; tum quia id manifeste sentimus, et profitemur in nostris calamitatibus, in quibus ad Deum fugimus per orationem, ei tamquam indubie audituro miserias nostras aperimus, et vel sola cogitatione opem ejus imploramus. Cur ergo non humiliter istud cogitamus, quando male agimus?

Tertio, committere de Deo et silere cum ob bonorum operum studium argueris aut rideris, v. g. quod crebrius quam alii missam audias, confitearis et communices, largiores des eleemosynas, malorum consortia fugias, etc. Sic enim et Magdalena cum a sorore tacite argueretur, quod verbo Dei audiendo vacans, laboris sociam se non præberet, a Domino defenditur: sic cum Israelitas a tergo premeret Pharaos, et obstaret fugientibus mare rubrum, dixit ad eos Moyses: *Dominus pugnabit pro vobis et vos tacebitis*, Exod. XIV.

III. A Christo discimus primo, non accusare religiosos, quasi otiosos, dum a manuum operibus liberi, vacant sibi et Deo. Ferunt enim inique heretici imprimis, et quandoque etiam catholici quidam eam monachorum et clericorum vitam. Quos tamen defendit Christus, cum ait: *Maria optimam partem elegit*. Nam imprimis isti, si vocationi suæ conformiter vivunt, vel activam sequuntur vitam, et tam occupati sunt quam Martha: aut contemplativam, et tam occupati sunt, quam Maria; aut utramque mixtam, et tunc magis occupati sunt, quam Martha et Maria. Deinde, sua scientia, adhortationibus, consiliis dirigunt sæculares, et qui activam vitam tenent. Quis autem nescit oculum, quamvis otiosus videatur, plus agere et prodesse corpori, quam manus externis operibus addictas? Quis nescit architectum, licet mente solum, non manu operetur, plus stipendii mereri, quam cæteros opifices? Denique, suris orationibus aliisque piis operibus, quibus indesinenter vacant, plus conferre credendi sunt, quam si manibus laborarent. Novimus enim Moysen, dum manus ad Deum tolleret a prælio remotus, plus effecisse, quam Josuem, qui cum hostibus pugnabat, Exod. XVII.

Secundo, Magdalenam ita laudandam et sectandam, ut non spernatur Martha: etenim Christus, dum commendavit Magdalenam, non vituperavit Martham: *Maria optimam partem elegit*, inquit, Græce, *illam bonam partem*. Unde Aug. serm. XXVI. de verbis Domini, exponit: *Non tu malam, sed illa meliorem*. Ad hæc Christus divertit in ea domo, ubi nec Maria sola, nec Martha sola erat, sed ubi ambæ simul junctæ. Itaque qui meliorem sequitur vitam, non spernat eum, qui minus bonam. Rursum qui Mariam sequitur, non

negligat subinde sequi et Martham. Docuit hoc Sylvan. abb. fratrem quemdam suum lepido exemplo. Cum enim frater ille redargueret commilitones suos manibus laborantes, et sollicitudinem illorum supervacuam assereret, ex illis verbis Domini: *Maria optimam partem elegit, sedens secus pedes Domini*, hora cænæ de industria vocatus non est: queritur ergo frater et miratur, cur ad cænā more solito venire non sit jussus. Cui Sylvanus: *Vere existimabam, tibi qui totus spiritualis es, cibo potuque opus non esse*. Fratre itaque errorem confitente, subdit abbas: *Scias igitur Mariam Marthæ etiam ministerio indigere auxilioque juvari*, in vitis pp. Beirl. in apophtheg.

Tertio, non tantum curis corporalibus quantum animæ curæ impendere. Hæc enim est absolute necessaria, illa non item, uti indicat Dominus, cum ait: *Unum est necessarium*, q. d. plurima illa tua, erga quæ turbaris, quomodo scilicet me et te pascas, non sunt necessaria: illud est necessarium, ut tu animam tuam pascas. Necessarium sane documentum, plerique enim mortaliū omnem pene laborem corpori impendunt, exiguum animæ: unde Eccl. dixit: *Omnis labor hominis in ore ejus*, id est, propter os ejus, ut habent Hebræa. Præposterum omnino et insanum studium. Nam imprimis servum nutriunt; dominum autem fame cruciant. Deinde, suos ipsi labores devorant. Nam: *Omne, quod laborant homines*, ait in eum locum S. Hieron. *ore consumitur et attritum dentibus ventri traditur digerendum, etc.* Itaque perinde agunt atque scrophæ aliquæ, quæ ubi multo labore multos enixæ sunt fœtus, paulo post omnes illos devorant. Denique, modicam gustus voluptatem momento transeuntem præferunt æternis deliciis. Unde miratur hoc genus hominum Isai. c. LV. dicens: *Quare appenditis laborem vestrum non in saturitate?* q. d. quare labore vestro ea tantum comparatis, quæ vos nequaquam satiant? Gubernator quidam civitatis Trajectensis in Belgio, ut refert Corn. a Lapid. in Isa. c. LV. narrabat se aliquando cum primariis nobilibus invitatum fuisse ab alio ad prandium: « Ivi, inquit, cum aliis, splendidum inveni castrum, illustre triclinium, mensam opiparam, epulis et deliciis omnibus instructam. Bibebant et comedebant omnes hilariter. Ast ubi discesserunt, mox inani ventre famere cœperunt et stomachus latrare, atque si nihil comedissent. » Nimirum opera magi cujusdam hæc omnia præstigiis agebantur et apparabantur. Unde videbantur sibi comedere et saturari homines, cum nihil minus fieret. Talia sunt omnia mundi bona, non enim satiant hominem, quantacumque devorave-

rit. Itaque operemur non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, monet Dominus. Joan. VII.

CONCIO X

MYSTERIA.

I. Cur Christus divertit in domum Marthæ? — II. Cur non ad Magdalenam? — III. Cur Martha non vocavit silentio sororem ad auxilium? — IV. Cur repetito nomine Martha compellatur? — V. Quid in Martha reprehensum? — VI. Quid illud unum, quod necessarium? — VII. Quid significant Martha et Maria in eadem domo? — VIII. Quid sentiendum de contemplativa et activa vita?

THEMA.

Mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam. Luc. X.

Isaias, qui, ut ait Sanctus Hieronymus, in epist. CXXX. ad Paulinum, potius evangelium, quam prophetiam texere videtur, duos potissimum a nobis exposcit sensus erga Christum, visum scilicet et auditum: *Erunt oculi tui, inquit, videntes præceptorem tuum: et aures tuæ audient verbum post terga morientis: hæc est via, ambulate in ea, etc.* Et merito: duo enim fuerunt in Christo maxime observanda: opera, quæ fecit, et doctrina, quam tradidit: *Cæpit facere et docere*, ait Lucas, Act. I. *Fuitque potens in opere et sermone*, ut ait idem Lucas, cap. XXIV. Ad opera quæ fecit, exposcit visum: ad verba, quæ docuit, exposcit auditum. Quoniam igitur Christus et verbo et opere docuit nos, utrumque observemus; illud veluti audiremus, hoc quasi spectaremus.

I. Quær. cur Christus divertit in domum Marthæ? Resp. ad hoc Salm. in hunc locum: « Intraivit Christus, non tam accepturus quam daturus, accepturus quidem parva, hoc est, corporalia; daturus vero pretiosissima, hoc est spiritualia, et corporeis ipse egere voluit, quia se hominem fama et siti atque aliis infirmitatibus obnoxium ex gratia fecerat; ut ita præberet ansam aliis sibi aliquid subministrandi et ipse acciperet occasionem, accepta compensandi beneficia: nam etsi ipse Dominus egeret, poterat tamen multis modis inopiæ suæ succurrere. Sed ut Eliam prophetam ad tempus per corvum pavit, et postea ad viduam Sarephthanam misit, quo illa ministrando propheta meritum compararet, et propheta recipiendo magis amaret et gratus existeret: ita Christus, cui victori diaboli in deserto ministrarunt angeli, ad hujus castelli feminas divertit, quatenus ipsæ recipiendo Christum, bene de illo

mererentur, et Christus majoribus donis cumularet illas. Tu ergo agnosce magnum esse beneficium pauperi propter Christum porrigere: præstat siquidem dantis quam accipientis beneficium, beatus enim magis dare, quam accipere. » Sic Salm. Destinatus ergo Deus pauperes ad utilitatem divitum, quasi isti magis indigeant pauperibus, quam pauperes divitibus. Dives ille Luc. XVI. et immisericors epulo jacens in inferno precabatur Abrahamum, ut sibi mitteret Lazarum mendicum, a quo refrigerium tormentorum acciperet. Ecce vero Lazarum, non alium aliquem justum e sinu Abrahamæ petit? Quia nimirum perspexit, licet serius, pauperes esse divitum refrigeria et pharmaca, adeoque Lazarum illum sibi olim viventi datum, et præ foribus propositum fuisse, ad medelam et salutem suam. Hinc ubicumque Deus creat divitem, ibi creat et pauperem, velut ejus pharmacum: quemadmodum sambucus illico adnascitur adibus rusticorum, ubicumque erigantur, ut sit eorum quasi mithridaticum. Ita præ foribus epulonis posuit ei Deus Lazarum: o si de hoc sambuco pharmacum sibi parasset ille dum vivebat!

II. Quær. cur non divertit ad Magdalenam? Respondetur, quia Magdalena vel ibi domum non habuit, vel si habuit, maluit Christus divertere ad Martham, ad honorandam Marthæ virginitatem; delectatur enim Dominus maxime virginibus. Hinc carnem assumpturus humanam in utero virginis, et quidem talis, quæ virgo semper esset permansura, voluit intrare: hinc in celo visus est Joanni cum centum quadraginta quatuor milibus virginum, quæ illum sequebantur, quocumque iret, et dicebant tale canticum, quod nemo alius dicere poterat, Apoc. XIV.

Secundo, quia ut credibile est, domum Magdalene infamias facta erat propter ejus priorem conversationem malam, qua durante impuri amatores domum illam frequentare soliti erant. Tale enim vitium est luxuria, ut ipsas domos materiales infamias labe aspergat.

III. Quær. cur Martha silentio sororem non vocavit, et ut se juvaret monuit? Resp. primo, quia nihil se profecturam credebatur, sororem enim totam a Christi ore verbisque pendere videbat. Ideo ait: *Dic*, id est, jube, *ut me adjuvet*. Ut enim infantes pendent ab uberibus: ita Magdalena adhærebat ori Christi, ex quo lac verbi divini sugebat.

Secundo, quia ut ait S. Bernard. serm. de assumpt. *Domino præsentem non est ausa Martha evocare Mariam*. Timuit ergo offendere Dominum, si absque ejus imperio Mariam ab ejus pedibus avelleret. Discant ergo mariti non impedire con-

juges a devotione vel abstrahere a templo vacantes rebus divinis.

IV. Quær. cur repetito nomine Martham Dominus compellat? Resp. Sanctus Augustinus, serm. XXXVI. de verbis Domini: *Repetitio nominis, inquit, est indicium dilectionis, aut forte movendæ intentionis, ut audiret attentius bis vocata est*. Nimirum qui negotiis secularibus occupantur, majore excitatione indigent, ut attendant rebus supernis. Sic Num. XX. petra bis a Moyse percussa, dedit aquas populo. Petrosi et qui mundanis rebus alte indormiunt, fortioribus vel pluribus plagis excitandi sunt; uti contigit Pharaoni et contingit hujusmodi matris, qui plagam super plagam accipiunt, ut tandem resipiscant, vel saltem intelligant, se fideliter et paterne a Deo monitos fuisse. Ita dictum fuit Udoni illi: *Udo, Udo, cessa a ludo*.

V. Quid in Martha reprehendit Dominus. Resp. reprehendisse non ipsum ejus opus, sed quamdam operis circumstantiam tantum, scilicet nimiam sollicitudinem, ut docet Sanctus Gregorius, lib. V. in l. Reg. c. IV. et præterea in escis præparandis redundantiam. Utrumque expressit Dominus. Primum cum dicit: *Sollicita es*: secundum: *Et turbaris erga plurima*, quamvis in Martha utrumque ex amore et observantia in Christum proficisceretur. Quare docemur ita vacare curis domesticis, ut ne divinarum rerum cura et attentione distrahamur.

Docentur etiam divites et magnates mensæ suæ adhiberi parcimoniam; quandoquidem Rex regum noluit suæ refectiois causa, multum adhiberi vel sumptus vel laboris.

VI. Quidnam illud unum, quod est necessarium? Resp. primo, secundum Theophylactum significat simplicem et frugalem refectioem: *Uno, inquit, nobis opus est, nempe ut comedamus qualitercumque non variis*. Cogitent hoc, qui luxu dediti; quid enim amplius habent pauperes, qui et ipsi suum implent stomachum, licet epulis vilioribus, majore tamen ut plurimum gustu? *Æque hic saturatur, æque vivit, æque sanus est*. Sufficit ergo comedere qualitercumque tandem.

Secundo, secundum Ambrosium, Augustinum et Basilium significat auditionem verbi Dei, quo pascitur, curatur et ad vitam revocatur anima, turbata lucem aspicit tranquillam. Hoc est semen gloriæ; unde in multis parabolis vocatur a Domino *regnum caelorum*, Matth. XIII. Viderint ergo qui hoc cibo omnium maxime necessario privant animas suas, quique metere volunt beatitudinem, cujus semen in agro cordis sui nunquam exceperunt.

Tertio, secundum Dionysium Carthusianum

significat gratiam et charitatem, seu unionem, cum Deo, qua obtenta habemus omnia, et sine qua nihil. Sic dixit Jacob ad Esau, Gen. XXXIII. *Hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo, domine mi*.

Quarto, significat negotium salutis, quod aliis omnibus negotiis merito anteponendum juxta id: *Quærite primum regnum caelorum et justitiam ejus*. Sic apostolus, I. Thessal. IV. ait: *Rogamus vos fratres, ut vestrum negotium agatis*, negotium scilicet salutis; nam alia negotia excludit, II. Tim. II. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*. De hoc uno dicitur, Psal. XXVI. *Unam peti a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini*. Unam, id est, unam rem, ut exponit Bellarminus.

VII. Quid significant duæ sorores, Martha et Maria in eadem domo? Resp. primo, secundum Augustinum, sermon. XXVII. de verbis Domini, Martha vitam præsentem, laboriosam, Maria vitam futuram, caelestem et quietam, significat; sive, ut ait lib. I. de Trin. cap. X. et lib. II. quæst. evang. cap. XX. Martha significat Ecclesiam, quæ nunc est, excipientem Dominum in cor suum: Maria significat eandem Ecclesiam, sed in futuro sæculo, ubi cessans ab opere ministerioque indigentiae, sola sapientia perfruatur.

Resp. secundo, secundum divum Gregorium, lib. VI. moral. c. XVIII. Martha significat vitam activam, Maria contemplativam. Illa enim ministrat et discurret in externis operibus: hæc vero ad pedes Domini sedet, et mentis dulcedine Deique contemplatione perfruatur.

Eadem duæ vitæ significatæ sunt, Gen. XXIX. per duas illas sorores et uxores Jacob, Liam lippam et laboriosam (hoc enim significat Lia) Rachelem, pulchram et oculorum acie præstantem.

VIII. Quid de hac utraque vita sentiendum? Resp. primo, contemplativa absolute præcellit activam, quemadmodum Maria Marthæ præfertur a Christo. Cujus rationes octo reddit S. Thomas, II. q. CLXXXII. a. I. Prima, quia contemplativa convenit homini secundum id quod in eo optimum, scilicet intellectum, non item activa: secunda, quia est magis continua, quam activa: tertia, quia plus sanctæ delectationis affert: quarta, quia in contemplativa homo sibi est magis sufficiens, paucioribus enim indiget: quinta, quia contemplativa propter se diligitur, activa ad aliud ordinatur: sexta, quia illa consistit in quiete, hæc in labore: septima, quia illa versatur in divinis rebus, hæc in humanis: octava, quia contemplativa convenit homini secundum id quod est ipsi proprium, scilicet secundum intellectum

Secundum quid tamen et in certis casibus præferenda est vita activa, propter necessitatem præsentis vitæ. Resp. secundo, activa prior est, et per hanc perveniendum ad contemplativam. Prius enim mortificandus animus, ut contemplationi præparetur. Unde Bernard. serm. III. de assumpt. advertit, prius Christum a Martha susceptum, quam Magdalena ad ejus pedes sederet: sicuti Lia prius quam Rachel data est Jacobo.

Resp. tertio, activa et contemplativa adjuvari debet; nam absque Maria parum potest Martha, absque oratione actio. Dic ergo illi ut te adjuvet. Singula illa animalia Ezechielis, c. I. manus ala supponebant, ut insinuarent homines spirituales semper tenere manum operis sub ala contemplationis, simul operando et contemplando. Sic Exod. XVII. Moyses orans adjuvit Josuem pugnantem, Josue vires pugnandi accepit ab oratione Moysis. Moyses enim orante vincebat, cessando succumbebat.

Rursum, cum necessitas requirit, contemplativa ad actionem descendere debet adeoque suam

ad tempus intermittere contemplationem; cujus rei exemplum habemus in Aphraate monacho sanctissimo, quem cum aliquando Valens imp. Arianus cito gradu, licet ætate confectum, incendentem vidisset, quo iret interrogavit; at ille: *Pro tuo, inquit, regno precaturus. At intra cellam tuam, ait imperator, sibi manendum fuit, ut lex monastica postulat.* Cui Aphraates: *Præclare admendum, inquit, dicis o imperator, et ita hactenus feci, dum oves Salvatoris pace fruebantur: at modo cum per te disperguntur et vexantur, satagendum est, ne pereant, sed serventur incolumes.* Ad quæ commutatus illi Valens tacuit, Baron. anno 370. Sic laudatus a Deipara fuit Accursius Minorita, qui colloquio cum virgine sibi apparente abrupto, ad ingemiscentem in nosocomio ægrum fratrem accurrit, ut in chron. Minor. sic Joannes apostolus in Patmo contemplationi vacans, audit vocem post se, qua monetur erudire episcopos Asiæ per litteras, Apoc. I. denique in ea domo hospitatur Christus, ubi Magdalena et Martha, id est, vita contemplativa et activa simul sunt.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

VIRGO ASSUMPTA SACRO FALCONI COMPARATUR.

I. Quia renovavit juventutem suam. — II. Recta in cælum evolavit. — III. Evolavit supra omnes sanctos. — IV. Nobilissima prædatrix est.

THEMA.

Soror mea reliquit me solam ministrare, dic ergo illi, ut me adjuvet. Luc. X.

In historia Parthenia Carnotensi refertur nobilem quemdam in hodierno Deiparæ assumptæ festo falconem ad prædæ edoctum, pro recognitione fundorum, quos ab Ecclesia Carnotensi possidet, singulis annis offerre altari ad s. missæ offertorium. Miratus sum initio miræ et inusitatæ oblationis conditionem; cur nimirum falco, et non potius columba aliæ prædæ nescia avis Deiparæ offerretur. Ubi tamen rem expendi, reperi non abs re falconem oblationi electum esse, velut Deiparæ ad cælum evolantis elegantem typum, quem hic clarius intuebimur.

Inter falcones quædam species est, cæteris nobilior, eorum, qui *sacri* dicuntur a Latinis, Græcis, et Germanis; eo quod cæteris nobiliores et sublimiores, corpore majores, volatu celeriores et

sublimiores, denique omnibus fortiores, ac proinde terrori sint. Hunc ergo non in paucis similibus reperio Deiparæ in cælum assumptæ.

I. Falco renovat juventutem suam, excussis veteribus pennis, et tunc volacior ac nobilior fit. Scribit de hac re S. Job, c. XXXIX. *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?* Quasi diceret: Hanc rem tam miram tu quomodo efficies? Non enim de pullis plumescitibus loquitur, cum alas nondum habeant, quas extendere queant; sed de adultis, qui flante austro alas expandunt et ventilant, ut repetentem sibi auram faciant, sicque laxatis poris, veteres pennas ejiciant, et novas succrescentes acquirant, ut explicat ibi S. Gregorius. Simili quoque ratione suam renovavit juventam Deipara. Cum enim jam septuaginta duo annorum (juxta communiorem sententiam) esset, et mortem sibi instare divinitus intellexisset, præ gaudio et desiderio videndi Filii sui, exclamasse dicitur: *Fiat mihi iterum secundum verbum tuum;* sicque manus reverenter et graviter elevans, ut scribit Nicephorus, l. II. hist. c. XXI. quasi ad cælum volaturiens, emigravit: post triduum resuscitata, et immortalitate aliisque gloriosi corporis dotibus instaurata, ad cælum evolavit. Præter testimonia aliorum patrum et scriptorum, in revela-

tionibus S. Birgittæ, l. VI. c. XXVI. ait ipsa: « Paravi me ad exitum circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus passus fuerat. Cumque quædam die animus meus suspensus esset in admiratione divinæ charitatis, tunc anima in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat, et in ipsa consideratione anima mea a corpore fuit soluta. » Duabus igitur alis potissimum ventilatis se in sublime libravit, meditatione passionis Filii sui, deinde desiderio ejusdem videndi, sicque celerissimo volatu ad cæli culmen pervenit: primo quidem, secundum animam, post triduum etiam secundum corpus, eo fere modo, quo regum legati Romam primo, sine pompa, quasi clam et soli cum paucis ingrediuntur, post cum ingenti et publico apparatu. Considerate jam discrimen inter Matrem cruci adstantem, et in gloria cælesti residentem. Ibi lacrymis oppleta, et gladio transfixa stetit; in cælo gaudiis cælestibus undique perfusa: ibi Filium aspexit summis in doloribus et probris; in cælo aspexit gloria et honore circumdatum: ibi audiit Filii contumelias, vidit circa se canes feroces, in Filium latrantes; in cælo audit laudes et Filii et suas, videtque circa se choros angelorum et sanctos sibi applaudentes: ibi a Filio *mulier* tantum compellata fuit, ne gravius sauciaretur nomine *matris* audito; in cælo audit *mater*, et quantum ibi vulnerata fuit, tantum in cælo nunc recreatur: ibi horridum cadaveribus montem, cælum obscuratum, turbam circumfremetem, latrones juxta Filium vidit; at modo cælum splendidissimum, Filium solis instar rutilantem cælumque illuminantem, angelos cantantes, cherubim et seraphim Filium stipantes; seipsam vero corporis dotibus quasi aureis monilibus circumornatam.

II. Falco, seu accipiter, hoc peculiare habet, quod: « Aves aliæ si cursum arripuerint in sublime, obliquo ferri tractu, curvatisque spatiis agi coguntur, neque recta possunt cursum intendere; solus autem accipiter sublimipeta recto meatu volat, » inquit Pierius, hierogl. l. XXI. Hunc in modum Deipara corpore et anima recta in cælum evolavit, non oblique ut nos, qui plerique saltem prius ad purgatorium divertere cogimur propter labe aliquas nobis adherentes, a quibus Deipara immunis fuit. Cum enim in omnibus suis cogitationibus, verbis et operibus recta semper intentione Deum aspexerit, nec unquam ad creaturam aliquam inordinato amore deflexerit: quid mirum, si recta in cælum ivit? Nos ad res terrenas aliquas perperam dilectas subinde convertimur: nos in oratione distracti cogitationem mox a Deo deflectimus: in bonis operibus facile nim si ad

vanam gloriolam nostraque commoda aspiciamus; unde non mirum, si obliqua etiam via ad cælum eamus. Nihil tale in Deipara fuit: recta igitur cælum petivit. Mirantur hoc in ipsa ss. angeli verbis illis, Cant. III. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris?* Ascendit enim continuo, nunquam sedit aut quievit, quia semper profecit in gratia: *per desertum*, id est, per mundum incultum et horridum: *sicut virgulta*, id est, recta non obliqua: *fumi*, id est, levissima, gracilissima, ab omni terrenæ labis pondere libera: insuper: *Divinis extenuata disciplinis, et concremata intus in holocaustum incendio pii amoris*, inquit Alanus ibi. Fumus enim iste odorifer erat ex aromatibus myrrhæ et thuris, omnis scilicet generis virtutum: fumus noster, anima nostra aliquid semper factoris et terreni amoris habet. Ergo* ut ex ardente cereo recta ascendit fumus cælum versus; sic Deipara post mortem ascendit ad thronum gloriæ suæ. Unde S. Jo. Damascenus, orat. II. de dormit. B. V. ait: *Huic recta plana et facilis ad cælum parata est via.*

III. Falco præsertim sacerevolat altissime, adeoque super nubes, ut videri nequeat, et supra omnes alias aves, unde *aeriphilus* dicitur, seu *amicus aeris*, teste Alb. M. Et quousque dicemus evolasse Dei Matrem? Ad chorum ss. conjugum? At licet conjugata esset, virgo tamen fuit; altius ergo ascendere debuit. Ad chorum ss. virginum? At præter virginitatem, quam sine exemplo vovit Deo, eminentissimam, longe plura alia merita habuit, juxta id Prov. XXXI. *Multæ filæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Ad chorum ss. monachorum et eremitarum? At longe illis pauperior, longe accuratior Christi imitatrix fuit, quæ continuo illum præ oculis habens, exactissime secuta fuit. Ad chorum sacerdotum? Atqui longe illos superat, quæ proprium Filium Patri incruentum obtulit. Ad chorum episcoporum? At illa per multos annos præses totius Ecclesiæ fuit. Ad chorum ss. martyrum? At plus quam martyr est, teste S. Bernardo, ser. in id *Signum magnum*; quia in anima passa; quia omnes Filii cruciatus sensit, cocta in lacte Filii, ejusque sanguine aspersa. Ad chorum apostolorum? At ipsa apostolorum doctrix erat. Ad patriarcharum et prophetarum? At ipsis multo humilior fuit; posuit enim se ultimo loco: *Ecce ancilla Domini.* Ad choros angelorum? At ipsis longe purior fuit: angeli enim extra corporis lutum constituti, puritatem servarunt; Maria in corpore et luto, ad choros Cherubim et Seraphim? At charitate Dei longe eos præcessit, quæ Deum amavit, non ut patrem et creatorem dumtaxat, sed etiam